



Ioannes Eckius natus est 13 Nouemb. anno 1486
in Suevia sub ditione episcopi Augustani. Octo
annorum puer Rotenburgi potissimum literis im-
bui ccepit, apud patrum suum sacerdotem non in
doctum. Cum uero a patruo domi, & a magistro in
schola diligenter erudiretur, eod intra trienniū spaciū
peruenit, ut Dialecticā aliqua ex parte degustaret,
& priuata lectione pulcherrimarum rerum cogni-
tioni inhiaret. iam enim suo patruo sub tempus prā-
dij & coenae biblicas historias, & quādam in Augu-
stino, demū & in decretalibus, & in alijs nouis scri-
ptis, selectioribus tamen (quantum eius seculi sale-
bras subterfugere licebat) articulate legere cogeba-
tur. Vnde quidem consumpto prius in academia Haidelbergensi unico solūm
anno, & Tubingæ mensibus quinq; artium baccalaureus dignè creatur, quod
accidit anno 1499, prima die Octobris. Mox adiunctis necessarijs studijs, præ-
ter lapsus alio adhuc anno & trimestri tempore, et si etate minor esset permisus
tamen professorum, liberalium artium magister creatur, anno ætatis 15. Quo
gradu suscepso statim Theologiam discere cœpit: hoc quidem tempore, et si
natura quadammodo abstemius esset, cœpit bibere uīnū: sed Tubingæ gras-
sante iā peste, extorsa prius a patre & patruo pecunia, anno 1501 mense Octob.
Coloniā concessit, quod is locus Theologiæ studio celebraretur: ibi auditis
utilissimis quibusdā lectionibus, anno sequenti, spectatis prius Aquisgranen-
sibus reliquijs, in patriam & Rotenburgum est reuersus. Delectoq; mox sibi
firmiore loco, Friburgi Theologiæ amplius operam dare, & docendo in phi-
losophia sese sustentare animo constitutum habet. quæ res iam quidem bene
cœpta erat, cum ecce ibi quoq; ingruente peste, quiete ei frui non licet, sed ut
alijs fecerant magistri, Kitzingam suas transfert Musas: non abstinenſis interim
ab iniisendis parentibus, quod in uita særissime fecit, preter alias frequentiſ-
simas peregrinationes, quæ nullo modo omnes annotari potuerunt.